

MATTSSON
SKYTTE, JOHAN, D.Y.
SKYTTE, JAKOB

**Dissertatiunculæ sex, in quarum tribus
primis, num femina legati officio
fungi possit: tribus postremis, num in
administratione reipubl. interdum à justitiâ
ad utilitatem deflectere liceat, disputatur**

Ubsaliæ
1626

EOD – Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 10 europeiska länder!



Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400-till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

EOD bokens fördelar!

- Få samma utseende och känsla som med originalet!
- Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
- Skriv ut enstaka sidor eller hela boken.
- *Sök:* Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
- *Klipp & klistra:* Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).

Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken.

- Villkoren på svenska: <http://books2ebooks.eu/odm/html/nls/sv/agb.html>

Fler e-böcker

Redan nu erbjuder 30 bibliotek från 12 europeiska länder denna service. Mer information finns tillgängliga via <http://books2ebooks.eu> alla boken.

- <http://search.books2ebooks.eu/>

SKYTTE, JOH.


F. 1700 Po. Saml.

Rn 1008 Tom 1700

Lat. Fol. 1700

(P. 2)





DISSERTATIUNCULÆ

SEX,

In quarum tribus primis,

NUM FEMINALE-

GATI OFFICIO FUNGI POSSIT:

tribus postremis,

Num in administratione Reipubl. interdum à justitià ad utilitatem deflectere liceat,

DISPUTATUR;

A B

Illustris & Generosi Dn.

IOHANNIS SKYTTE,

LIBERI BARONIS IN Duderof &c.

FILIIS,

Generosis nobilissimisq; adolescentibus,

JOHANNE

BENEDICTO &

JACOBO,

}

SKYTTE,

EX

JOHANNIS SIMONII, SKYTTIANI

in Regia Ubsaliensi Academia Oratoria P. P. & Ordinarij, informatione scripta; & publicè,

Illæ, postridie Kal. Sept. in veteri Collegio;


Hæ, ultimo Septemb., in novo Collegio Skyttiano,


ex memoria recitata.

UBSALIÆ

Apud ESCHILLVM MATTHIÆ, Anno 1626.







Illustri & Generoso Dn.

JOHANNI SKYTTE,

LIBERO BARONI IN Duderof/

Domino in Grönsöd & Strömsrum/ Equiti aurato, Re-
gni Sveciæ Senatori, Regiæ Camerae administratori,
& Academiæ Upsaliensis Cancellario, Parenti
nostro, omnibus filialis obsequij & amoris
officijs maximè sempiternumq;
colendo.

S. D.



*U*M, Generose & carissime Parens, has
dissertatiunculas nostras edi suasissent ij,
quorum inprimis fidei paterna cura tua
hoc tempore nos commisit: justum omnino putabamus,
id ipsum sub nominis tui auspicio fieri. Quæ enim
quæ non nobis, inde ab ortu nostro, à Te præstita sunt,
DEI muneribus si non æquanda, ab illis tamen non
adeò longè abeuntia beneficia? Quare; cum aliud
nunc non possimus; ut hanc, non tam chartæ huic, quam
intimo pectorum nostrorum recessui inscriptam gra-
tæ mentis significationem, eo, quo nos semper com-
plecteris, animo accipias: pro ea, quam tibi debe-
mus, filiali observantia rogamus atq; oramus. Cumq;
postre-

postremis dissertatiunculis tu ipse, Pater, unà cum
Generoso nobilissimòq; viro, Dn. MATTHIA
SOOP, Regiæ Camerae Consiliario, cum primarijs
hujus Academiae Optimatibus, lectissimisq; adolescen-
tibus interfueris; tuq; diceres, te hisce ipsis has, à te
ad DEI gloriam & Reip. commodum exstructas,
ades quasi consecraturum: tantò gratius Tibi, Patri
nostro unice dilecto, hoc nostrum studium futurum du-
cebamus, quantò praeclarius est hoc tuum, ad omnem
posteritatem, DEO successum largiente, propagan-
dum, erga litteras humaniores singulare studium.
Ut finiamus: benigne hoc à nobis Filijs tuis accipe,
Pater, qui ante annos non adeò multos, fortè haud si-
ne quadam voluptate, salutationes lallantium accipi-
sti, blasasq; nostras voces non ingratijs audivisti: acci-
pe, mellitissime Pater: & unà cum dilectissima Matre
nostra, cum sororibus & familia nostra, cum univer-
sa Republ. & hic & in omnem æviterinitatem bene
beateq; vale & age. Ubsaliae Kal. Novembris
Anno 1626.

Filij obsequentissimi

JOHANNES; BENEDICTUS & JACOBUS

Skytte.

O. M. V. D.
HUMANITATIS
Studioſis S.

Eorum, qui Regum, Principum & publicarum
rerum nomine, ad publicum negotium agendum mittun-
tur, magna in omni ævo fuit auctoritas. Jure enim gentium
ſancti ſunt. Et Cyrum Legatos inter res maximi momen-
ti poſuiſſe, auctor eſt Xenophon lib. 8. *paideias*. David autem
Rex injuriam, ſuis legatis ab Ammonitarum Dynaſta, decurtatio-
ne veſtium, illatam, ferro ultus eſt. Romani, quod lotio lega-
ti, forte per imprudentiam, eſſent perſuſi, Corinthum deleve-
runt. Tyrios crudeliſſimè expugnavit Alexander M. quod
Caduceatores Regis interfeceſſent, & corpora eorum in pelagus
projeciſſent. Quid multis? Legatorum, inquit Caſar lib. 3.
de bello Gallico, nomen apud omnes nationes ſanctum eſt in vio-
latumq;. Quod & Gothorum Rex Totilas apud Procopium lib. 3.
de bello Gotthico reſtatur: conſtat, inquiens, apud barbaros omnes
id lege cautum eſſe, plurimum ut bi colant & venerentur orato-
res & legatos. Itaq; & magna virtutes in Legato requirun-
tur; in primisq; prudentia. Debet enim legatus non tam lo-
quens, quàm eloquens eſſe, nec tam dicax, quàm perſpicax. U-
no exemplo rem rotam probabo: Franciſcus Marcheſius Iuriſcon-
ſultus à Genuenſibus ad Iobannem Galeacium, Mediolanenſem
Ducem, Orator miſſus, cum difficilem ad eum haberet aditum,
die Sancti Iobannis Galeacio munus, Baſilica herba vas ple-
num, miſit. Dux Franciſcum ſtatim acceſſit, ut miſſa herba
cauſſas intelligeret. Franciſcus, omiſſis ijs, qua à Genuenſibus
mandata erant, paucis explicavit: Ego, Princeps, Genuenſium
ad te Orator veni: quorum ingenia baſilica herba perſimilia
ſunt; leviter tacta ſuaſum perfundunt odorem; contrita, ſcor-
piones

piones procreant. Hoc prudenti responso adeo Principis animum
permovit, ut, qui antea nullis flectebatur rationibus, tunc aquas
aures in posterum praberet.

Sed num omnis generis homines, & in his Feminus sexus
quoq; fungi possit officio legati, quaesitum est. Divortia hic sunt
opinorum. Ea oratiunculis comprehensa, Illustris & Gene-
rosi Domini, Dn. JOHANNIS SKYTTE, Senioris,
Liberi Bar. in Duderoff / Domini in Grönstöd & Ströms-
rum / Equitis aurati, Potentissimi Regni Suecia Senatoris, Ca-
mera regia administratoris, & hujus Academia Cancellarij
Magnificentissimi, Domini mei gratiosi, Filij, Dn. JOHAN-
NES, BENEDICTUS & JACOBUS SKYTTE, Liberi
Barones in Duderoff / &c. cras b. 4. pomeridiana in Collegio
veteri, publicè exhibebunt: ita tamen, ut primi duo ipsam Qua-
estionem tractent; minimus verò natus proponat quidem, sed in-
de digressus styli commendationem pertexat. Ad quos Gene-
rosos adolescentes benignè & humaniter audiendos, ut hora,
quam dixi, convenire non graventur: Magnificum Dn. Vi-
cecancellarium, Illustrè & Generosum Dominum, Dn. GU-
STAVUM AXELII OXENSTIERNÄ, Liberum Ba-
ronem in Rindetho / &c. Academia hujus Rectorem Magnifi-
centissimum, Generosissimos Barones studiorum causa hic com-
morantes, omnium ordinum Professores, reverendos, clarissi-
mos, consultissimos, doctissimos, humanissimos viros, Domi-
nos collegas meos solendos, nobilissimam atq; ornatissimam Stu-
diosorum inventutem, officiosè & amicè oro & rogo. P. P.
Vhsalia Kalendis Sept. Anni 1626.

JOHANNES SIMONIUS, Skyttianus
Oratoriae P.P. & Ordinarius.

Dis-



NUM FEMINA LEGATI OFFICIO

FUNGI POSSIT:

DISSERTATIUNCULA I. IN QUA RES AD
disceptandum proposita indicatur, & cohortatio
ad Eloquentiam instituitur.



Audabilis est & maximè comen-
danda non solum parentum, sed eo-
rum quoq; , qui teneram aetatem in
sua potestate habent, voluntas, qua
optimè iis, qui suæ fidei commissi
sunt, consultum cupiunt, hosq; non
modò in cæteris artium bonarum
studijs, verù etiam in Eloquentiæ palastra erudiri atq;
institui unicè cupiunt. Sciunt enim cognitumq; ha-
bent, homines ad omnia præclara nati, & educati, nul-
lam esse vitæ partem, quæ illarum disciplinarum, quas
Philosophia procreavit, opera & ministerio carere pos-
sit: Orationem verò bene moratam prudentem & do-
ctam esse decus hominis proprium, ejusq; ornamen-
tum eximium atq; singulare sciunt. Sunt quidem,
ex infinita hominum multitudine complusculi, qui
suis de farina magis, quàm de doctrina prospiciunt: i-
mò, qui hoc sibi persvasum habent, tantò cum iis, quos
charos habent, præclarius actum iri, quantò ij minus
sciant, sed majorib⁹, à parentib⁹ hereditate acceptis, di-
vitijs affluant. Verum hi tamen gravissimè halluci-
nantur. Quid enim nobilis sine eruditione? est, veto-
rum quodam affirmante, ovis, pellem gestans auream.
quid dives sine eadem? est pulchra bestia, sine mente

sta-

statua. Quare nunquam filii insignem hanc aut parentum aut curatorum in se benevolentiam promeritaq; illustria deprædicare satis dignè possunt; nunquam illis debitam pro maximis bonæ institutionis beneficiis gratiam referre; nunquam præclaram amoris eorum erga se vim explicare atq; eloqui queunt. Cui sanctissimæ voluntati cum sit omnibus liberis obtemperandum, tum nobis quoq; cum morem gerendum arbitraremur, visum fuit faciendum, ut iterum in hanc arenam descenderemus. Constituerunt autem Fratres mei quæstionem quandam in deliberationem vocare: Num Femina officio legati fungi possit. Ego vero hac præliminari mea dissertatiuncula Eloquentiam commendabo: & ut ad eam colendam generosos animos exuscitem, operam dabo.

Principiò, Auditores, quis, insigne illud DEI donum, Eloquentiam, munus illud singulari optimi maximi favore in solum hominem collatum, summo studio non amplecteretur? quis fastidiret? quis, nisi ab humanitate aversus, odio id ipsum persequeretur. Est quidem ingens & ineffabile DEI donum Ratio, quæ, non minus atq; Oratione, rerum omnium bonarum largitor & effector, DEUS hominem præ cæteris bestiis ornavit atq; instruxit. Hæc enim res abditas investigat, investigatas comprehendit, comprehensas dirigit & componit: hæc dissipata colligit, collecta dividit, præterita recordatur: hæc cernit instantia, conjectat futura, & extrema conferens primis omnium rerum cursum & eventorum consequentiam notat. Sed longè majus, longèq; excellentius DEI donum est O-ratio benè morata, prudens & docta. Paradoxon for-

tèti-

tè tibi dixi? Sed ipse velim iudices. An non enim præ-
clara rationis munera omnia, velut tenebris quibus-
dam jacerent obruta, inclusa penitus pectoribus & ani-
mis nostris, nisi ingenij accederet lumen, quo qui-
dem patefacta & illustrata cernerentur omnia? Finge,
aliquem in coelos ascendisse, atq; ibi inter orbés ver-
santem omnium siderum pulchritudinem vidisse, mo-
tum singulorum & naturam, itemq; orbium concen-
tum inspexisse, didicisse, audivisse; reversum autem ad
homines destitui facultate, qua cæteris ea, quæ vidis-
set, didicisset, audivisset, commodè periteq; explicaret,
notaq; faceret: ecquid huic tantarum tamq; divinarum
rerum cognitio, ad societatem generis humani juvan-
dam ornandamq; proderit? Omnino certè nullo pror-
sus erit usui. Pari modo, licet quis omnium pulcher-
rimarum maximarumq; artium scientia fuerit appri-
mè instructus, sed Eloquentiæ careat dono, is nihil u-
tilitatis conferet in eos, quibus cum vinculo rationis
communi consociatus est. Quare, ut sine ratione o-
mnia sunt futilia: sic sine oratione omnia sunt inuti-
lia, nulliq; conducibilia. Quæ cum ita sint, quis tam
stupidus, quis adeò stolidus foret, qui orationem juxta
atq; rationem summo studio non coleret, & tanquam
dona, quibus vel preciosius vel fructuosius concedi no-
bis divinitus nihil potuerat, non in maximo precio ha-
beret, tantumq; non adoraret? Ac profectò, per Deum
immortalem, quam multi passim summoperè contem-
dunt, ut celeritatem pedum excitent, ut artificiose &
ad numerum saltent? agilitatem brachiorum, ne rusti-
cè pugnent? argutias digitorum, ne videantur bardì
atq; insulsi? quàm multi omne suum studium, omnemq;

operam conferunt ad augendū confirmandūq; corporis robur? quàm multi; quorum ego conditionem miserrimam duco; toti sunt in se comando atq; expolendo? quam multi impensè allaborant, ut rerum maximè ludicrarum peritiam consequantur? Sed hæc, quæ dixi, omnia nihil omninò obtinent in comparatione ad vim virtutemq; dicendi, & ne digna quidem sunt, ut cum ea in certamen ullum veniant admittanturq;. Sunt etenim eorum quædam, quæ jam recitabam, nobis cum bestiis communia; quædam etiam in bestiis longè reperiuntur meliora quàm in nobis; quædam verò ita putida sunt, ita abjecta, ita sordida, ut animus ad virtutem erectus ea despuat atq; excretur. Ast Eloquentia est propria hominis, maximumq; ejus decus atq; singulare ornamentum. O Eloquentiæ dignitatem immensam! O rem inter res humanas præstantissimam! Ut verò eloquentiâ nihil est hominæ dignius; sic eadem nihil est utilius, nihil fructuosius. Quid enim est, quod homini maxima bona confert? Eloquentia. Quid est, quod eum ad summos honores evehit? in amplissimo dignitatis gradu locat? prudens moderata & docta oratio. Quid ad docendos, informandosq; homines plurimum potest? hæc eadem, quid segnes excitat, ingredientes currere, currentes volare facit? Hæc eadem. Quid ad monendum, ad consolandum, ad consulendum, ad laudandum, accusandumq; multum valet? hæc eadem. Hæc eadem eloquentia à vitiis abstractos homines ad virtutē deducit: hæc animos ad omnem honestatem inflamat: hujus vi bella componuntur; seditiones comprimuntur, tempestates rerum, sedantur: Hæc jacentes erigit, hæc bonos in civitate retinet, hæc miseris & afflictis

fictis dat salutem. O vim eloquentiæ admirandam! Nec solum verò publicè prodest eloquentia, sed ab hac immensæ quoq; in omnes vitæ partes protuberant atq; exundant utilitates. Ne longus hîc sim, ipsi, quæso vos, Auditores, cernite, qualis hæc vita nostra futura esset, eloquentiâ sublata? Quem enim dicetis Philosophum, hac benè morata, prudente & docta oratione destitutum? quem dicetis, inquam, alium, nisi morosophum? quem sine hac juriconsultum, nisi juris stultum? pastorem, nisi impostorem? doctorem, nisi decoctorem? Etsi verò nunquam inficiabor, per plurima inter homines peragi, quæ opem copiosæ elocutionis minime requirant; esse quoq; non pauca, quæ, quò paucioribus verbis fiunt, eò majorè mereantur inveniantq; fidem; quæ, si pomposè ornaretur, non modò omnem perderent dignitatem, sed irrisione omnium eorum, quibus aliquid salis inest, luderentur. Verum nec hoc tamen Eloquentiæ veræ eripi patiar, hujus usum tam latè patere, quam latè patent benè constitutarum civitatum suggesta, conciones, curiæ, consiliorum templa, fori palatia, belli tandem, ut paucis multa, pacisq; fines. Cum igitur Eloquentia tam insigne Dei donum sit, ut eo solus homo divinitus sit dotatus, adeò ut pari, quod dicitur, passu cum ratione ambulet; cum eadem sui cultores in amplissimo dignitatis gradu locet: cum ad tempus tum pacis tum belli innumeras commoditates afferat; postremò cū hominis per industriam acquisita ornamenta, ad dicendi prudentiam collata, aut nulla aut exigua sint: hanc enè tam præstantissimam rem negligendam putabimus, nec multò magis exornabimus? hanc incultam desertamq; jacere? hanc in obscura tenebrisq; obsolescere patiemur? Videamus; commili-

tones, ne, ut illi mundi creatori & parenti Deo glo-
riosum fuit, tantum nobis, tam optabile impertiri bo-
num; sic nobis turpissimum sit, acceptum ab illo
munus industria tueri & ornare
non posse.

D I X I.



ORATIO II.

QUOD FEMINE OFFICIUM

Legati mandari possit.

Patrem quendam ferunt, cum docere suum Fi-
lium vellet, quis esset hominum perversus de rebus
judicandi modus; id ipsum ridiculo, sed seria tamen
significante, facto quodam demonstrasse. Per aliquot
enim pagos cum puero suo, ducto secum Arcadico
pecore, iter faciens, primò ipse solus auritæ bestia in-
fedit: & inhumanitatis adversus filium à praterenti-
bus fuit accusatus. deinde cum eidem imposuisset fi-
lium, risum est vehementer, convitiisq; exceptus puer,
esse cum adeo delicatum, tamq; protervum, ut patri
præriperet equitandi, quod ipsi deberetur, jus ac po-
testatem, quare tertio neuter occupavit animal, & tan-
quam sponsum medium duxerunt: risum est multò ve-
hementius: tandem, pedibus quadrupedem constri-
ctum, vecteq; immisso in humeros sublatum portarunt:
& habitus sunt omnium, qui maximè insanirent, demen-
tissimi. Pari modo de studiis humanioribus judicia in-
vulgus

vulgus fieti, quis non videt? Sed multitudine nos, qui in Musarum castris militamus, moveri minimè decet, verum multo magis nostrum est, ut eos suæ stultitiæ committamus, cui tandem dabunt panas certissimas. Quis enim asini clamore, commoveretur? quis lubricum, imo insanum, vulgi iudicium curaret? Itaq; nec in magnis viris haberi potest, à populo qui pendet; nec magnis dignus est, quem tam minuta tamq; abjecta manicipia suspensum tenent. Meritò igitur nobis grata esse debet parentum nostrorum pietas, qui nostras mentes optimis studiis, mores virtutibus, imbui curant; nosq; ex eorum, qui minus rectè de rebus magnis atq; utilibus iudicant, exemptos esse avent atq; cupiunt. Sed cum sumserimus nobis ad dicendum materiam ancipitem, & fortè etiam gravem: Utrum Feminae quoq; munus Legationis committi possit: ego, si per vos, Auditores præstantissimi; id quod obnixè rogo; mihi licuerit, experiar, num probatum dare possim, esse hoc, quicquid sit, feminis etiam committendum. Principiò non ignoro, Auditores: quanta famineo sexui adversaria constituta sit ab iis, qui illum inter mala numerant, nihilq; eò abjectius habent. Verum hoc minimè decere reor eum, quem ingenua & honesta mater peperit, sed esse hominis perdit, profligati ac dementis reor: plane autè puto, feminis etiam dignitatum portas patere debere. Lex enim & naturæ & iustitiæ uno ore præcipit, ut, qui virtutibus, ceterisq; bonis pares sunt, iis paria etiam præmia conferantur, eorumq; dignitati atq; existimationi æquamente faveamus. Hæc enim res conservat Respublicas; hoc societatis humanæ vinculum est, hoc firma-

mentum, si cuilibet personæ res suæ accommodentur; suumq; cuiq; tribuatur: quod vocat Aristoteles totum ad totum comparari. Hoc enim personarum ordine æquales fiunt, & inter se conjuncti ij, qui aliàs inter se dissidere videbantur: in qua ipsa quidem conjunctione & concordia civium, & Reip. incolumitas & civitatis salus & gloria consistit. Quis enim, nisi extremè absurdus & impius, illi Regno detraheret aut felicitatis aut summæ præstantiæ laudem, in quo ita homines ordinati sunt, ut Zadock & Abiathar, Davidi sint à sacris, hæcq; piè curent: Nathan in morum magisterio præclare se gerat: Josaphat à cancellis; Hira à latere Regis; ubi Joab præsit militiæ, Benaia præsidariis, Adoram vectigalibus & fisco, Seja deniq; in iis, quæ ad interiorem Regis & Reipubl. notitiam pertinent, specimè suæ fidei atq; integritatis det singulare? q; certe homines inter se ratione studiosi diversissimi, hac ordinatione ipsa vel maximè conjuncti erunt, ac quasi arctissimo vinculo copulati atq; colligati. Ubi verò ingeniorum & meritorum non sunt gradus; ubi boni & ignavi pari ducuntur loco; ubi audacia atq; modestia hostimenta consequuntur; ibi consistere Respub. nequit, sed connexionem hac inferiorum ad superiores conturbata, rem communem debilitari, opes civitatis affligi, salutemq; perturbari tantumq; non extinguere, certum est. Sit, Auditores, Respublica, in qua, juxta Cratetis dictum, dentur coquo-minæ decem, scorto talentum, adulatori talenta, decem, philosopho triobolus, medico drachma, consiliario fumus: ecquid sani, ecquid integritatis reperies in ejusmodi Cyclosum contubernio, foetidaq; ista spelunca? quid, inquam, ibi aliud præter omnium legum

legum; rerumq; optimarum, ad societatem humanam
conducentium, internecionem reperies, laudabilisq; re-
giminis miserè prostrati & diruti abominandum cadaver?
Delirant ergo Anabaptistæ, q. ordine in imperiis subla-
to, æqualitatē inter homines esse volūt, inq; ea defen-
denda viros se præstāt. Delirabat & ille Philosophaster,
q. in Iro & Cræso æquale liberalitatē affectabat. & apud
Plutarchum Symposiarcha damnatur, quod Arithmeti-
cam rationē spectaret: nam, ut Plutarchus ait, in convi-
vium pergit quisq; proprium afferens ventrem, quem
non explet æquale, sed id quod satis est. Demonstra-
vi, Auditores, in honorum distributione personarum
ordinem esse servandum, ut, qui muneri alicui apti
sunt, ij non negligantur, sed iis juxta cum ceteris, pa-
res dignitates conferantur, & ad eorum amplitudi-
nem eadem accessiones fiant, idemq; aut par sine in-
vidia addatur. Ac profectò reperiri in feminis, quæ
virtute non minus atq; viri sint præditæ, aut quæ hos,
si non superent, certè æquent; nemo, cui mens recta
est, unquam, ut mea quidem fert opinio, inficiabitur.
At fortè in feminas virtutem cadere negabis? Egre-
gium vero commentum! An non vero cum in femi-
nas causæ virtutis, hoc est naturæ bonitas, educatio bo-
na, felix institutio & exercitatio, cadant; cum hoc ita
sit, an non multò magis dicendum erit & fatendum et-
iam in feminas inesse virtutem? Quæ enim virtutis
via ulli præclusa est? non ea censum, non sexum respi-
cit: omnes admittit: nudo homine contenta est: & tu
femineum genus ab ea excludes? quo ore id facies?
qua frontè hunc sexum ab honestate segregabis? Ve-
rum, quid his probandis immoror? quid hîc verba fru-
stra

stra fundo, cum ejus rei perplurima, eaq; illustria testi-
monia & apud profanos & apud sacros rerum gesta-
rum commentatores existant? Nonne enim eximie
aliquot seminarum lectæ nobis, auditæ, visæ, quæ for-
tes, cautæ, castæ, virilibus curis mulierum vitia exue-
runt? Quid enim, ut reliquas, quæ perplurimæ sunt,
omittam, quid vobis, Auditores, de Debora videtur,
quæ quadraginta annos DE I populo summa cum lau-
de famæq; integritate præfuit? Aut quid de Jaële He-
bris Cenæi conjugæ? quæ Sisseram, Jabini Regis Du-
cem clarissimum, virum ad suscipienda bella impigrū,
eaq; fortiter ac strenuè administrantem, adacto per-
tempora ipsius ferreo clavo, & perterebrato cerebro,
in æternum soporem masculè planè atq; magno ani-
mo convertit atq; conjecit? Cum ergo femina, vir-
tutibus pares sint viris: in officiorum quoq; adeptione
pares his iisdem esse debere, nec à munere Legationis
depellendas, vero justoq; ita consentaneum esse judi-
co, ut nihil illi magis consentaneum esse possit. Quis
vero hoc negat, præter te, quisquis es, qui negas,
Ei, cui datur munus, huic competere nomen Le-
gati? Quid te inhumanius? quid magis ferreum?
quid etiam iniquius? An non enim Virgines Vesta-
les, cum litteris, à Vitellio ad Antonium scriptis, so-
lemnî ritu missas legimus? an non mulier xanthia,
Legata ad Bellerophontem, cunctæ civitati veniam
impetravit? quid dico? Halicarnasseus disertim af-
firmat, Sabinas, ad compescendam inter Romanos &
Sabino concursationem, legatione; quod ipsis tamen
parum convenire videbatur; functas? Tu hanc ne-
gas Legationem? at Halicarnasseus ait: Tu negas
publicè

publicè factam? at quis dici potest solemnis missus, si non is, cujus senatus Romanus auctor fuit? & qui in publica causa? Quod si hominibus, cujusvis ordinis & instituti, datae sunt legationes: si Rhodiorum Resp. nihil verita est ad Cassium legare Archelaum, quendam ludimagistrum: si Athenienses Athenionem sophistam miserunt ad Mithridatem: si Eumenes Romam ablegavit suum medicum: si Lodovicus, undecimus Rex Galliarum, ad Mariam Principem Belgarum, Oliverium misit, *quo tondente gravis sibi Regi barba sonabat* quis eam dignitatem feminis illis negabit, in quibus elucet præcipua Legationis dotes? Sileant ergo feminini Generis dignitatis osiores: comprimant os æquitatis divinæ, tam in feminas quàm viros propensa, sugillatores taceant deniq; naturæ & diligentia sexus muliebris arrosiores; huncque ad Legationes obeundas admittant. Nunquam enim ad virtutem recta via vadenti, præpotens, immortalisq; Deus, bonorum ille omnium benignus largitor, defuit: neq; honorum excellentiaq; januam unquam præcludit invidus.

D I X I.



ORATIO III.

QUANDO FEMINA OFFICIO

Legati fungi possit.

PRæclare, Frater, à te pro sexus feminei honore pugnatum est. Neq; ego ei dignitatem istam in-
C
video

video: verum eum tu idipsum, quod necessitati quam
libentissime dono, ad alia quoque tempora transfe-
ras; facere equidem aliter non possum, quam ut me
tibi opponam. Demonstrabo enim legationes mu-
li. bri tui non convenire. Semper, Auditores,
in omnibus actionibus videndum esse, ipsi certissimi
mibi estis testes, non quid possit fieri, & quod in potestate
nostra habeamus, sed multo magis quid liceat fieri, &
quid deceat. Videamus jaculatores: his certe non
est permittum figere obvia quaeque animalia, sed illa so-
lummodo, quae legibus & consuetudine concessa sunt,
ut feriuntur transfiganturque. Si enim quodcumque
libet etiam licuerit, iam exterminatus erit ex genere
humano pudor: quem DEUS, ut honestissime Plato
scripsit, metueus humano generi ne periret, una cum
iustitia hominibus, Mercurio ad ipsos misso, commen-
davit, addito hoc elogio, eum, qui aut invecundus
aut injustus esset, ex consortio generis humani exci-
sum iri. Itaque, si vel maxime liceret officio lega-
ti fungi feminas, vel minime tamen hoc munus eas de-
cet. Feminam etenim inter viros familiariter ver-
sari; id quod in legationibus usu venit; & ratio pro-
hibet, & naturalis verecundia minime admittit. Facilli-
me etenim eiusmodi consuetudo commerciumque aliqd
navi atque scaevitatis & concipere & parere potest. Ho-
spitiolum tuum, ait Divus Hieronymus, aut raro aut
nunquam mulierum pedes terant: vide, ne sub eodem
tecto manseris: nec praeterea castitati confidas. nec
Samson fortior, nec Davide sanctior, nec Salomone
poteris esse sapientior. Quod si, sancto Patre Au-
gustino affirmante, illa pudica est, quae celat faciem, &

vix uno oculo, qui via nuncius sit, patente ingreditur: quanto putabimus intervallo à laude pudicitiae distare eam, quæ, non dico aperta ingreditur, sed viris alienis immixta assidue inter ipsos versatur, est ipsis accubua, in quæ interius colloquium cum ipsis sæpissime, quotiescunque visum fuerit, descendit? Ac, si apud Homerum Penelope turpe sibi duxit, sine capitis ad humeros usque demisso velamento, *ἄντα περιεὶαν χορδὴν λιπαρὰ κριδεμνα*, faciem pulcras vittas præcincta, in conspectum virorum procedere: ducemusne, Christianas feminas decere, si in contubernium virorum adeo liberè, adeo sine ferè fronte sese immergant? Num verò hoc factum legimus unquam à Patriarcharum, uxoribus? solam Rebeccam aspiciamus, quæ, cum in mariti sui occursum veniret, caput velavit. &, cur sponsæ dictæ sunt nuptæ? nullam aliam ob causam, quàm quia pudicitiae testandæ causa caput velabant? quod hodiè & in Italia & Turcia ab honestis feminis fieri, compertum est. Videant ergo feminæ Christianæ, an decorum sit, se à Turcicis pudore & verecundia superari? illas castum decus ita servare, ut ne quidem nisi velatæ in publicum prodeant: se autem eò progredi cupere, ut, nulla necessitate cogente, sibi legationis munus patiantur imponi? Quid? quod & ejusmodi functio cum officio uxoris pugnat? quod est ex lana veltes conficiendas curare; panem pinsere & coquere; rudes ancillas fufis & calathis tractandis erudire, quæquæ sunt id genus cætera peragere. Præclare Xenophon, jure, inquit, naturæ comparata est opera mulieris ad domesticam diligentiam, viri autem ad exercitationem forensem & extraneam: itaq; viro

calores & frigora perpetienda: cui etiam munera & labores pacis ac belli distribuit: Mulieri deinde, quod omnibus his rebus fecerat eam inhabilem, domestica negotia curanda tradidit: &, quoniam hunc sexum custodia & diligentia assignaverat, idcirco timidior reddidit, quam virilem. nam metus plurimum facit ad custodiendi diligentiam. Itaque Telemachus ille Homericus, cum mater sibi arrogasset Phæmiam cantorem deterrere, quò minus Achæorum & ad Trojam & in reditu perpeffos labores prædicaret; non dubitavit eam, licet mater esset, ad opera muliebria rejicere, affirmans, ei telam, & colum, & in ancillas imperium competere: orationem verò & provinciam res publicè utiles sermone dilerto explicandi, virorum officium esse. Idem jura quoque præcipiunt, dum feminas ab aditu omnium civilium publicorumque munerum, quale quoque legatio est, repellunt: quod violare videntur, qui in officiorum civilium communicationem mulieres vocant. Quid autem est aliud juri civili contradicere, quam ipsi justitiæ bellum inferre? Stet ergò fixum immotumque, Auditores, feminis honestis omnia ea, quæ virtuti debentur, esse tribuenda; à munere autem legationum eas, si cætera sint paria, segregandas esse. Nec verò movent me, quæ, tu Frater, in contrarium attulisti: perturbari ordinem personarum, si jus legationis feminis denegetur; reperiri multas mulieres eximijs virtutibus præditas; nec deesse exempla præclarissimarum rerum publicarum, quæ feminis hoc negotij imposuerint. Nam longè verius est, ordinem personarum, quem & creatio viri & foemina, & utriusque corporis constitutio atque natura

tura luculenter demonstrant, violari & turbari, si ea feminis tribuantur, quæ propriè sine què omni dubietate sunt virorum. Nec sequitur, quia præstantissimæ mulieres reperiuntur; his ipsis commendanda esse ea, quæ ab hoc hominum genere quàm longissimè distant atque absunt: quæque tantò impensius muliebris sexus averfatur, quantò est ex eo aliqua excelliore loco nata, majoribusquè virtutibus est ornata. Atque haud scio, an etiam in præstantissimis feminis ea reperiantur, quæ in legato inesse oportet. Sint indigenæ feminae, sint cautæ, sint doctæ, sint summo loco natæ: quot verò earum invenies, quæ; ubi remotis arbitris conferendum sit cum exteris, cum æmulis, cum hostibus; non muliebri aliquid patiat, ut extimescat, & citò inclinetur, animumquè despondeat? quot autem dabis, in quibus existat industria multis magnisquè experimentis probata? in quibus sit cognitio juris, armorumquè scientia, historiarum eloquentiæquè peritia? aut quæ experienciæ consequendæ ergo terrâ mariquè iter fecerint, multa tulerint, multorum hominum mores cognorint, præcipuarumquè Rerumpubl: gubernationis formam inspexerint? Nam, quod quibusdam de sexu muliebri virilis illa functio olim demandata fuit, id & ipsum singulare est, nec, ut in scholis loqui solent, regulam facit: &, ut fieret, temporum necessitates imperarunt. Nunc, quemadmodum feminarum tanta est copia, ut ex minorum gentium populo nemo cogatur proximo sanguini se jūgere: sic pari modo, cum præstantium virorum uberri-
mus sit proventus, qui legationibus operam suam navare possint, quid est, quod viris hunc honorem de-

trahamus, eumquè cum altero sexu communicemus? cum verum sit, præstantissimis quoque feminis præstantissimos viros esse excellentiores. Quæ cum ita sint, Auditores, agite, quod bonos officiorum rationatores decet, hoc agamus: femineo sexui ad virtutem perbitanti suum honorem, eumquè singularem & eximium, ne invidemus, sed multò magis sartum testumquè conservemus; veritati autem hoc demus: cum nec decorum sit, nec ad conservandum retinendumquè pudorem conducat, cum à legibus dissentiat, à communi populorum honestiorum consensu discedat, si feminæ cum promiscua virorum turba versentur: cum hæc ita se habeant, nullo quoque modo decere, ut feminis, nulla necessitate impellente, sanctissimum augustissimumquè Legati munus committatur, atque imponatur. Sic & rerumpubl. saluti consulemus, nec ordinem divinitus inter homines sanctum violabimus, sed eum multò magis asseremus, atque cum magna publica utilitate tutabimur.

D I X I.



NUM

NUM IN REPUB. INTERDUM
A JUSTITIA AD UTILITATEM
desistere liceat.

Q R A T I O I.

JOHANNIS SKYTTE Junioris,
L. B. in Duderoff:

CONTINENS PROPOSITIONEM,
& *Justitia encomion.*

Quod apud sapientissimum Poëtam Sophoclem Menelaus, sortem suam deplorans, similem eam esse ait Lunæ, quæ nunquam duabus noctibus unam eandemque formam retinet, sed primùm novam induta figuram ex occulto parumper emergit; deinde pedetentim crescit, donec plena atque rotunda facta rursus ad interitum properat: id de his nostris temporibus usurpare possumus: quibus tantam rerum quotidie experimur varietatem, ut crebris cum Lunæ permutationibus non immeritò comparari queant. Nam, ut & cæteris omissis, nec de majorib. vicissitudinib. que hanc Patriam nostram, hoc potentissimum Sueciæ Regnum & olim & ante non multos annos rotarunt; quæ Dei beneficio in nos singulari, Serenissimi & Clementissimi nostri Regis prudentia & fortitudine incomparabili, maximis totius Regni opibus impeditæ aliquantisper hætenus substiterunt; quæquam dicam: quæ est ul-

est ulla ullius mali species, quæ quietis & pace fru-
entibus non metuenda sit, aut alias orbis terrarum partes
non affligat? Etsi verò sunt, qui, vel Hippoclidæ simi-
les, non curant, sursumne an deorsum omnia volvan-
tur; vel qui calamitatibus publicis delectantur; quod
existimant, præstare multumque emolumentum adferre,
piscationes eas, quæ turbato stagno peraguntur: qui ta-
men sapientes sunt rerumque gnari, qui pietate omnia
metiuntur, hi nihil magis hominem politicum decere
arbitrantur, quam publicis aliorum calamitatibus
(quod humanum esse, Theseus quoque interfectorum
ad Thebas cadavera lavans dixisse fertur) non solum
affici, sed etiam sæpè multumque cogitare, quid illud
sit, quod, ubi à pietate discesseris, nobis adversus for-
tunæ volubilitatem publicè privatimque præsidio sit
atque adjumento. Equidem justitiam censeo so-
lam esse, quæ secundam in rebus hominum muniendis
firmandisque paginam impleat. Sed cum diversæ
sint de hoc ipso opiniones, Frater quidem, qui post
me dicet, conabitur probare, non semper in Republ.
ad justitiam omnia referri posse: quem alter impugna-
bit: ego verò pulchritudinem, dignitatemque justitiæ
paucis, primisque quasi lineis designabo. Neque e-
nim, Auditores præstantissimi, mihi quicquam præsta-
bilis videtur virtute, quæ, justis rebus operam na-
vans, omnes homines, quotquot ejus cultura patien-
tem præbent aurem, præparat ad eos satius accipien-
dos, quorum tanta postea messis sit, ut proventus hu-
jus sese longè lateque diffundat. Hæc una res in offi-
ciorum, justarumque actionum cum alijs communica-
tione præcipuè semper floruit dominataque est, floret
atque dominatur. Quid enim est aut tam admirabile,
quàm

quàm ex omni virtutum choro existere unam, quæ,
quod quisque justus seorsim in se transfert, cum alijs
hominibus participare, idque vel sola vel cum paucis
virtutibus facere possit? aut jucundius cognitu atque
auditu, quàm sapientibus legibus atque optima disci-
plina unita respublica atque ornata? aut tam potens
tamque magnificum, quàm populi mobilitatem, ado-
lescentum protervitatem, imperantium libidinem, ju-
dicatorum corruptiones, consiliorum perfidiam, qua-
storum expilationes, sceleratorum civium impietatem
hujus unius autoritate coerceri? Quid tam porro re-
gium, tam liberale, tam munificum, quàm erigere ter-
ram, firmare principatus, honestè vivendi rationem
impartiri, neminè lædere, tribuere unicuiq; suam pro-
priam dignitatem, majori (agnoscitis procul dubio,
Auditores, Divi Bernhardi verba) reverentiam, pari
concordiam, minori disciplinam, Deo obedientiam, si-
bi sanctimoniam, inimico pietatem, egeno operosam
misericordiam? Quid autem tam necessarium, quàm
tenere arma, quibus vel ipse tutus esse possis, ut neque
inflecti gratia, neque perfringi potentia, neque a-
dulterari pecuniâ queas: vel vindicare improbos, vel
rectè facta tueri atque defendere? Agite verò, ut & cæ-
tera meditemur, quid potest esse aut justitiâ jucun-
dus, quæ in sodalitiis habet libertatem; cui ad latus in-
cedit sancta pietas; cujus dulcis nutricula est tempe-
rantia, propugnaculum fortitudo; concionatrix pru-
dentia? aut magis proprium humanitatis, quàm ho-
minum vitæ bonisq; consulere atque opem ferre? Ut
verò jam ad illa summa veniamus, quæ vis alia potest
constituere eam rempub. in qua singulis officijs digni
D homi-

homines præsent, muneris Cancellarij vir doctus, sa-
piens, justus, communis tranquillitatis studiosus: Ca-
meræ vir maximi ingenij, summæque integritatis, ex-
ercitui peritus armorum & belli; administrationi Ec-
clesiæ eruditi pijs, moderati; gubernationi studiorum
litterati, philoponi & veritatis amantes; alijsque alij
idonei, qui tanquam vegetæ apiculæ, mellificium Deo
gratum, Ecclesiæ Reique publicæ salutare, summâ
diligentia, atque promptitudine exerceant atque confi-
ciant? Ac ne plura, quæ sunt innumerabilia, conse-
cter, comprehendam brevi: sic enim statuo: justi viri
ad clavum reipubl. sedentis moderatione & sapientia
non solum ipsius dignitatem, sed & subditorum omni-
um, & universæ Reip. salutem contineri. Quamob-
rem, quis justitiam, rerump. ancoram, magistratus
animam, totius orbis fulcrum, non jure miretur, lau-
det, extollat? Nos verò, Generosi & excellentissi-
mi Auditores, summè in eo elaborandum arbitremur,
ut, quo uno hominum societas salva florens & beata
est, in hoc industriam studiumque nostrum omne,
maxima animi contentione, collocemus
atque ponamus.

D I X I.



ORAZ.



O R A T I O II.

BENEDICTI SKYTTE

L. B. in Duderoff:

INTERDUM UTILITATEM PRO

*justitia in administratione rerumpubl.
colendam.*

Consuetudinem nonnulli Deam esse finxerunt; hancque, cum aliquâdo orbem terrarum obiisset, sub juramento, ajunt, plurimos, fronte corrugata, singularique, quem ipsa præ se ferebat, zelo, accepisse: jurasse Sacros, fidei & vitæ puritatem; Politicos, justitiæ culturam; Sapientiæ professores, insipientiæ & otij odium, alios aliud: Simplicium autem quendam, cum & ipse juramento fidem suam Consuetudini obstrixisset, se nolle ferre sui salarij diminutionem, primoque omnium à quæstoribus injuria affectus fuisset, memorem juramenti, causam ad judices detulisse; opinatumque, sibi eos adjumento futuros: sed hos, audita querela, cum risu propemodum corruissent, dixisse ad Simplicium, nunquid credidisti, ineptule, hac in re Consuetudinem apertissimis usam verbis, & id quod res est dixisse? atque ita hominem à se dimisisse. Ridentem dicere verum, quis vetat? Auditores excellentissimi. An non enim magna hominum pars hanc fabulam in omnibus ferè theatris agit? an non

multos hæc persuasio dementavit, moris esse, jurare
multa, servare pauca? Sed quantò hoc frequentius,
tantò turpius est: tantoque magis enitendum, ut ad
pietatem cæterasque virtutes, cum alias tum vel ma-
ximè ad justitiam, tanquam ad Helicem quandam,
omnia dicta & facta collineemus atque refera-
mus. Verum cum tamen usu etiam apud eos,
qui religione atque prudentia reliquis antecellere
cupiunt, frequentatum hodie receptumque sit, ut, quem-
admodum mente clausa, sic velata justitiæ facie ple-
raque peragant: non inconueniens fortè fuerit quæ-
rere, num iniustitia non adeò rigidè servanda, tem-
poribus aliquid concedi debeat: non quod ego vio-
landum sanctum Themidos numen statuam, sed ut eo-
rum, qui id opinantur, partes, idque exercitij causa,
suscipiam atque agam. Ostendam enim non sem-
per in Repub. ad justitiam omnia deducenda esse, sed
utilitatem multis pro justitia fuisse. Atque hic, Au-
ditores Generosissimi atque Præstantissimi, initiò re-
movenda fors erit nobis adversaria, constitota ab ijs,
quibus videri possumus vel arrogantius hoc dicendi
gymnasium frequentare, vel minus decenter eam vi-
am insistere, quæ his, qui ætate & judicio nos longè
superant, terenda sola esset. Sed profectò cum a-
pud eos & in ea corona dicamus, quæ veritate & do-
ctrina excellit, inque ea Academia, quæ, potentissimi
Regis SVECIÆ, Domini nostri Clementissimi
benignitate, clarissimorum Professorum studio, pieta-
tis doctrinæ & morum integritatis, adeoque omnis
boni condita proma est, unde, tanquam ab Hermone
monte, amœnissimus ros, quo potentissimum hoc Re-
gum irrigatur, abundè fluit: nihil nobis tale metuen-
dum

dum existimamus, sed in vestra humaniter nos audien-
di benevolentia, quam & imploramus, planissimè ac-
quiescimus. Sapiens scriptor Polybius
inter causas distingvit, quibus homines ad aliquid fa-
ciendum adducuntur atque impelluntur. Quid e-
nim tam frequens est, quid tam crebro versatur in
hominum more, quam veris rerum causis eas prætex-
re, quæ certam facti imaginem videntur præsentare?
Excutiamus, si placet, omnium post homines lapsos
temporum momenta: ecquid negare poterimus, quod
primi nostri parentes fecerunt, ut suæ turpitudini fo-
lia arboris prætexerent, idem sequentibus seculis fuis-
se sapissimè usurpatum? Ut illa antediluviana, atq; in
his Cainum, quod metueret ne à quovis interficeret-
tur, sibi dominatum quærentem & parantem, præter-
eam: ut vetera, quæ temporibus, horrendæ illius clu-
vionis, qua totus terrarum orbis, octo exceptis anima-
bus, miserrimè periit, proxima fuere, silentio involvam:
quid omnibus ferè gentibus magis familiare fuit, quam
ut vel pacis vel belli negotiis affingerent causam,
quam magna autoritate pro vera venditabant? Aga-
thocles, cum Ithacenses invadere in animo aliquando
haberet, exprobravit illis, quod Ulysses, Ithacæ quon-
dam Dominus, pecudibus ex Sicilia abactis, Pasto-
rem (Polyphemum intelligens) exoculavisset. Cyrus
cupiditate potiundi Massagetarum regni ardens, infe-
licissimi belli contra hos suscepti causam tranferebat
in ignominiam, sibi à Tamyri regina, quæ ipsius nu-
ptias repudiaverat, illatam. Belli Siculi causa vera
fuit augendæ potentia cupido in Atheniensibus, im-
pulsiva fuit insana & furens adolescentis Alcibiadis
ambi-

ambitio! sed his prætexebatur necessitas cognatis
& sociis Egestanis & Leontinis auxilium adversus Syra-
cusanos & Solinuscos ferendi. Sic Philomenus & O-
nomarchus, cum essent à Senatu Amphycionico in
gravem multam cõdemnati, quam nõ possent pende-
re, excitarunt bellum sacrum; suam impietatem hone-
sta hac externa specie palliantes, quod iidem iudices
injustam adversus Phocenses sententiam dixissent, nec
respondere pœnam delicto. Sed quis tanta valet
memoria, qui omnia, ut Thucydides appellat, *ἅπαντα*
λόγῃς, quæ non solum bellis, sed privatis etiam rebus
adhibentur, meminisse, eaque enumerare possit? Cùm
ergo jam penè ab incunabulis mundi usu moreq; rece-
ptum sit, occultare veras negotiorum causas, & ha-
rum loco eas, quæ veri speciem habent, in proscenium
producere: cumque id, quod exemplo fit, rectè fieri
omnium consensu censeatur: id quoque approbatum
videbitur, non semper in administratione Reipubl. ad
justitiam rigidè esse omnia dirigenda. Accedit huc,
quod qui apertè & justè agunt, non magis suarum re-
rum satagunt, quàm si quis hosti sua consilia ipse pro-
dat ac patefaciat. Ut alios mittam: si de Romanis
ferenda sententia est, nihil apertius est, quàm, si justi-
ciam curassent, etiam ubi illa utilitate carebat, lupercal
aut casae egestatemque mansuram illam urbem,
quæ æternitatis nomine tantopere celebrata est. I-
demque de Principibus *Ludovicum Gonzagam Niverni*
Ducem, Principem magnum, libere professum, Thua-
nurus auctor est; si illi restituere tenerent ea, quorum
possessionis primam causam edisserere non possent, ad
summas angustias plerosque, qui nunc lacè regnant,
addu-

adductum iri: Quod si igitur salus populi Principisq;
incolumitas suprema lex est: non videtur ratio reddi
posse, cur non respublica, quò certo non potest per-
venire cursu, eodem velificatione contendat: inpri-
misque si illa à fide deflexio atque aberratio modica
sit & parca: nec absurdum modò non sit, sed etiam ne-
cessarium, quod Jason Thessalus apud Plutarchum
affirmat, in parvis à justitia abire posse eum, qui salvam
eam volet in magnis. Ac certè, si nutricibus pueros, si
Medicis ægrotos fallere concessum, si strategemata in
bellis sunt licita: quis universæ Reipubl id denegave-
rit, quod singulis est indoitum permissumque? cum nec
hoc negari possit, quemadmodum temporibus justa
quædam fiunt injusta, sic eadem de causa accidere, ut
quicquid utile est, fiat honestum, licet ante non vi-
deatur apparearque. Nec desunt clarissimorum vi-
rorum testimonia. Lylandrum dicere ajunt solitum,
veritatem quidem mendacio meliorem, sed utriusque
tamen pretium usu definiri. Agesilaus dixisse fertur,
justum esse, quodcumq; Sparta prodesset. Salustius,
Caij Marij, Capsam, validum Numidix oppidum, con-
tra jus belli incendientis factum dum improbat, defen-
dit. Maria, Scotorum Regina, promissa à Principi-
bus carenus exhibenda dixit, quatenus prastari expe-
diret: & Carolus V. Imperator, cum promissorum
fides ab ipso reposceretur, obsecundasse temporire-
spondit. Plura id genus testimonia afferrem: nisi
auditorij hujus illustri clarissimi & ornatissimi esse
habenda mihi ratio. Ex his autem, quæ in medium
attuli, patere existimo, non semper in magnis Rebus-
publ. regia justitiæ via necdi posse: sed aliquando esse
decli-

declinandum, salutē reipub. id flagitante; necessitate
postulante, exemplis suadentibus, utilitate denique,
sine qua nulla societas consistere potest, id imperante.

D I X I.



O R A T I O III.

J A C O B I S K Y T T E

L. B. in Duderoff /

D E M O N S T R A N S A D J U S T I -
tiam omnia in rebuspub. referenda, & re-
futans contraria.

A *Alexandrum*, cui virtus magni cognomen de-
dit, in delicijs memorant habuisse, ut, quando à
rebus bellicis remissio erat, operam venatui daret,
eumque in Tigres, pardos, Urlos atque Leones exer-
ceret, cumque aliquando magnum ferocissimumque Leo-
nem difficili pugna summisque viribus, prostravisset,
& certamini huic Spartanus Legatus adfuisset, hunc
vehementer Regis fortitudinem admiratum, Utinam,
dixisse, ó Rex inclute, pro magno aliquo imperio cum
Leone fuisset tibi certamen? Quod Spartani dictum,
etsi eò spectat, ut intelligamus, Regem fortem esse o-
portere, non autem audacem, & suæ (nisi forte in ma-
gni momenti, & ubi libertas & salus populi agitur, re-
bus

bus) vitæ prodigum: videor tamen, frater, me hoc ad te quoque accommodare posse: optare me, ut tuam in ea materia posuisses operam, quæ non ita vaga, fluxaque esset. Vereor enim ut tibi possim concedere, licere Principi, in administratione reipublicæ, à via justitiæ interdum deflectere, & utilitatem pro justitia habere. Quid enim videtur oratio tua aliud velle, quàm Regem principemque eo munere quod ipsius proprium est, quodque à Deo eum dono accipere Homerus etiam testatur, privatum cupere? contra verò eidem portas ad fallendum defraudandumque latissimas aperire? Quis vel ex Philosophis Ethnicorum, hoc ipsum ferret? quis concederet patereturque? Nota est atque perspecta laus, quam Aristoteles justitiæ tribuit, esse eam Lucifero clariorem majorique luce splendere. Hæc enim virtus cæterarum moralium virtutum fundamentum est, & stabilimentum. Fac, aliquem largiri de suis; sed non justo modo: eumne liberalem dixeris? nullo verò modo, sed prodigum. Defendat alius patriam, religionem, leges, penates: quod nisi justè faciat, fortis viri insignia nullo modo defendere potest. Fac illum omnia facere, quæ ad remp. ornandam amplificandamque pertinent: detrahe ei justiciam: nihil ab eo probè sincerè, fideliterque factum, asseram. Ubi enim fides abest, quid quæso, ibi geri potest, quod laudem inveniat mereaturque? Nam quid est justitia? dicet, opinor, Cleon aliquis, esse id, quod ad turbulentorum civium potentiam augendam est utile maximeque accommodatum. Quid autem hac voce, quæ bovis est non hominis, turpius? quid est, quod majori incommodo societatem humanam
E ladat?

sedat? Est, Auditores, est justitia virtus illa, quam qui observat, is non solum amicis, sed hostibus quoq; ea præstat atq; exhibet, quæ jure divino, jure humano, jure naturæ debentur. Justitia est aurea illa catena, quæ de cælo demissa totam hominum societatem ambitu suo complexa est. Quod si nulla æquitatis observantia, nulla dictorum factorumq; constantia sit inter Patrem familias & domesticos; inter Magistratum & subditos, inter cives, amicos, confederatos, socios, inter vicinos proculq; distitos: vita nostra sine jure, sine legibus, sine ulla securitate, sine quiete, sine contractibus, nihil aliud quàm *ἀναρχία*, quam vis, quam rapina & latrocinium erat futura. Platonis, in iis, quas de legibus reliquit, libris, hæc laudatissima vox est: Veritatem tum diis tum hominibus ad omnia bonam ducem esse: at fidem qui frangit, hunc præcipuam veritatis partem ex hominum communione penitus eijcere. Quomodo autem Dij terrestres veritatem absq; justitia colere exercereq; poterunt? aut quam ij, qui justitia vacant, Deo persolvent pietatem? qua in re Remp. juvabunt? cui erunt usui atq; emolumento? Omnia hijs profectò turbabunt, miscebunt, pessum dabunt. Nec enim religio, illis clavum tenentibus, florere: non leges in pretio esse, non civitates rectè gubernari, nec quicquam laudabiliter fieri potest, justitia relegate atq; exterminata. Neq; verò quæquam inficiari potest, fraudes & hominibus & Deo esse invisas, quocunq; tandem fuce necessitatis aut utilitatis publicæ sint tinctæ atq; pictæ. Illud quoq; quis adeò ferreus est qui, neget honestū semper utili esse præferendum? Non igitur audiendi erunt, sed potius explodendi, qui ad-

asserunt, Principem pro justitia interdum utilitatem colere posse. Quanquam fateamur oportet, quædam esse tempora, quibus simulatio & dissimulatio ferri possit: quam tamen ita concedimus, ne justitia fidesq; fallatur, nec aliis malis occasio detur. Sunt quidem, non minus quàm inferorū portæ, odio digni, q; aliud ore proferunt, aliud animo conditum habent: haud tamen rarò opus est, ut frontem aperiamus & mentem tegamus: nullo autem ut modo hanc à scopo justitiæ sejungamus, atq; separemus. Omnino enim firmiterq; statuendum est: sine justitia nec civitates conservari, nec urbes habitari posse. Non tantum, ait Herodotus, apud Græcos, sed etiam apud majores nostros, servandæ justitiæ causa, videntur olim bene morati Reges constituti. Existimarunt viri illi prudentes, in moderatoris Reipub. justitia & æquitate universæ reipub. salutem esse fundatam. Justitia enim firmat thronum: justitia principibus civium amorem conciliat: justitia est cornu Amaltheæ, ex quo omnia bona, in societatem humanam divinitus sparsa, deveniunt. Hanc sacra oracula imperant: hanc sapientes svadent: hanc philosophi exigunt: hanc Socratici in cælum efferunt: hanc Stoici in Phalaridis etiam tauro tueri non reformidant: atq; hi omnes lege cum his, qui honesto utile præferunt, non tacitè solum, sed palam quoq; agunt, vindicantq; homines ornati virtutisq; studiosi, quibus cum justo Sacramento contendere patronis illis utilitatis non licebit. Urgebit eosdem Plutarchus, qui Aristidem laudat, quod justus cognomen virtute sit assecutus: quod nullus Regum aut imperatorum ante ipsum optaverat, sed expugnato-

res, fulmina, victores, aquilæ, accipitresq; se appellari
gaudebant: quasi potentia potius, quàm virtute glo-
riarentur. Quamohrem istis, qui injustitiâ Princi-
pem armant, relictis, censemus præstare, communiq;
hominum societati necessariam ducimus Regum prin-
cipumq; in gubernanda republica justitiam. Sed de-
mus fuisse plurimos, qui utilitatem pro justitiâ sibi pro-
positam habuerint: quid ista exempla ad nos, aut cur
illis moveamur, cum legum viribus non nitantur? No-
bis verò, potentissimi hujus Regni Sueciæ civibus, ex-
emplo sit Rex noster, Princeps pius, felix, augustus;
qui; fremant licet, qui fremunt; parem hoc tempo-
re vix habet, Rex potentissimus & Serenissimus: qui
non cupiditate ductus, non utilitate motus (quid enim
sumtuum, penè incredibilium, in suas expeditiones S.
Regia ipsius Majestas in hanc & superiores non im-
pendit?) non levitate tractus, sed solo Patriæ amore,
religionisq; & libertatis hujus regni conservandæ gra-
tia, justo & pio & debito Reipublicæ suæq; dignitati
officio ductus, bella adversus hostem suum gerit. O te
GUSTAVUM ADOLPHUM verè Regem! qui verius
& majori cura pro nobis tuis subditis, excubas, quàm
Agamemnon Homericus pro Græcis! Servet te DEUS!
Protegat te majestas divina! custodiat te Sacrosancta
Triunitas, Te pro aris & focis jam præliantem pugnan-
temq;: teq; salvum florentemq; rebus terra mariq;
ex animi sententia felicissimè confectis, in hoc tuum
regnum ad *Serenissimam Reginam* Dominam nostram
clementissimam reducat. Nihil igitur, Frater, exem-
pla, quæ tu in prima acie collocasti me terrent: cū hoc
unico regis nostri exēplo omnia ista sint repressa & op-
pres-


pressa. Nec enim salus populi Principisq; , injusto modo, est quaerenda. Quis eleemosynas sanus probaret illas, quas fur contulit de aliena pecunia, quam invito domino contrectavit? suntne facienda mala, ut eveniant bona? ac non potius quod justum est justè est persequendum? At, regeris, non sunt talia jam tempora, quibus semper Rex esse potest justus: & modicum est, in quo à justo aberrare posse Principem censeo. Sunt, fateor, exulcerata hæc tempora: sed illis moveri, ut te ad eorum nutum componas, justiq; decus deseras, non est hominis pii ac benè informati, qui scit perspectumq; habet, probos nunquam auxilio Dei destitui: & præstare, perire, quàm imprudentiæ addere scelus, & injustè agendo salutem quaerere. Sed & *modicum non vacat culpa.* Plato graviter objurgabat adolescentem, quod aleam lusisset: & dicenti, sic cinè objurgas ob rem parvam? at, inquit Plato, *parum non est, assuescere.* Neq; tamen diffitemur, simulationem & dissimulationem, quæ medicorum & nutricum calliditati respondeat, sæpè esse laudandam, non fraudem, non perfidiam, non injustitiam. Nec enim concedimus, aut omnia strategemata promiscuè esse licita: aut omnia rerump. arcana esse comprobanda. Quod si denique testimoniis res est finienda, quis humana præferet divinis? quis scoriam auro præponet? Diligite, inquit Sapiencia, justitiam, qui judicatis terram: & Rex Salamon testatur confirmatq; , ejus Regis, qui judicat in veritate quauperem, thronum in æternum firmatum iri.


Quamobrem, ut tandem finiam, firmiter assero, statuoq; , sine justitia Regem, nec Regem, nec rectè

eos gubernare posse, quibus præest. O te verè Dei filiam justitiam! Tu splendidior es Sole? Tu Regum corona, tu rerum publ. basis atq; columna! Tu tuo beneficio principes & subditos arctissimo inter se vinculo copulas! Tu regna firmas, thronum stabilis, civitates amplificas! Te meritò amplectantur Reges: te colant principes: te exosculentur Respubl. tibi serviant omnes. Ac si apud inferos justissimi finguntur iudices constituti, de quibus sibi tota ista gens gratulatur.: quantò magis, Auditores, nos operam dare decebit, ut & justam conservari mentem nostro summo Magistratui, quò salvi & beati sub ipsius alis vivamus, cupidè imprecemur: & ipsi hanc toti generi humano tam necessariam, tam salutarem virtutem omni studio sincere pieq; veneremur atq; excolamus.

D I X I,







www.books2ebooks.eu